



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

11. Ad quem pertineat Thesaurus inuentus in fundo Maioratus? Et explanatur, quid est sentiendum, si ipse Maioratus possessor inueniat prædictum Thesaurum, etiam si ex industria quærat, & quid si ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

cit. per textum in l. *Fructus* 7. §. Si fundum 12. in fin. ff. sol. matr. ubi maritus thesaurus, qui in fructu non computatur, in fundo dotali à se inuentum, pro dimidia tantum parte lucratur. Idem statuit Daniel Mollerus lib. 4. *semestre*. c. 27. n. 4. Nicolaus Boërius *dec.* 22. 4. n. 9. hōique referens Berlicchius, p. 2. *concl. practicab. concl.* 2. n. 59. *pag.* 38. Nihil refragatur huic sententiae l. *fructuarii* 62. in princ. ff. de usufruct. ubi usufructuarius fera animalia, quae nullius adhuc sunt, acquirit, si in fundo fructuario cepit: atqui thesaurus est nullius, l. *Nunquam* 31. §. 1. ff. de acq. rer. dom. ergo hunc etiam totum acquirit: nihil, inquam, refragatur: nam, quae nullius sunt, & fundo non cohaerent, vt fera animalia, haec ab usufructuario occupata, ipsa tota cedunt: secus est in thesauro, qui terrae visceribus continetur, & ei loco, ubi absconditus iacet, quasi destinatus est, neque ad eum sine variis effossionibus perueniri potest, quas nisi permisso domini, facere non licet. Quod si forte fortuna, arando, aut colendo quilibet illum inuenit; quia, arare, & colere videtur nomine domini; æquum est, vt eius inuenti partem domino concedat, cuius factus, & voluntate quodammodo effectum est, vt ille thesaurum repererit. Quod si ignorante domino, studiosè, datæque opera thesaurum perquisierit; quia facit, quod non licet facere in alieno; totus thesaurus ad dominum pertinebit. Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos tenet Sixtinus de *Regalibus*, lib. 2. c. 21. n. 50. Peregr. de iur. fisci, lib. 4. tit. 2. n. 4. & 5. & ex Cast. Garcia, Valenzuela, & alii probat Amaya in *C. lib.* 10. tit. 1. n. 23. asserens, quod usufructuarius in loco usufructus si inuenit thesaurum, non facit suum, cum non sit dominus, neque thesaurus in fructu, l. *Si is, qui* 63. §. Quod si servus ff. de acquirendo rerum dominio. licet ratione inuentionis, quae non videtur fieri contra domini voluntatem, dimidiam reportabit, tanquam si in alieno inuenisset. Et idè huic sententiae ex Theologis calculum suum adiungunt Megala in p. 2. lib. 2. c. 4. g. 2. n. 19. Lessius lib. 2. c. 5. dub. 15. n. 61. Dicastillus lib. 2. tit. 2. disp. 9. dub. 15. n. 417. & alij.

2. Hinc optime docet Gutierrez *tr. de tutelis* p. 3. c. 25. n. 12. quod ad tutorem, vel curatorem non pertinet decima pars thesauri inuenti in fundo sui minoris, ex l. *Si is, qui ad medium*, hoc est, in §. *Si communis servus* ff. de acq. rer. dom. Non enim thesaurus villo modo effectus fructus fundi naturalis, aut ciuilis, text. in l. *Dinortio* §. *Si fundum in fin. ff. solut. matr.* nec est etiam pars, vel portio aliqualis fundi; sed res præfusa separata, nihil cum fundo habens commune, l. 3. §. *Nerarius* ff. de acq. possess. & ibi Gloss. v. *Cepisse*, & communiter scribentes Doctores Molina d. c. 23. n. 4. Et sic usufructus, qui habetur in fundo, non potest extendi ad thesaurum in eo inuentum. Igitur fructuarius, nec dominium, nec vsum fructum habebit in thesauro, seu in eius media parte; sed statim liberè, & pleno iure cedit soli proprietario, per d. §. *Si servus communis*. Itaque dicendum est ex his, quod tutor, vel curator; cum sit fructuarius decimæ, non habebit partem thesauri inuenti in fundo sui minoris, nec eius vsum: quia thesaurus non est in fructu, nec in commoditate fundi; sed donum Dei, & semel erutus non renascitur, & quæ non renascuntur, non censentur fructus, neque ad fructuarius pertinent; neque ex his, quæ non renascuntur, decima est danda tutori, ac curatori.

RESOL. XI.

Ad quem pertineat Thesaurus inuentus in fundo Maioratus?

Et explanatur, quid est sciendum, si ipse Maioratus possessor inueniat prædictum Thesaurum, etiam si ex industria querat; & quid si alius inuenierit? Ex p. 9. tit. 5. Ref. 10.

§. 1. Molina Theologus de iust. tom. 1. tr. 2. disp. 56. putat, quod thesaurus in prædio vinculo primogenij ligato reperitus, quoad portionem, quæ ex illo domino prædij deberet, integrè pertinet ad possessorem maioratus eo tempore, neque teneatur quicquam successoribus referre. Ratio est: quoniam non est pars maioratus, imò neque fructus: quin potius, stando in solo iure naturali, & gentium, totus futurus erat primò occupatis: quod fit, vt quod dispositione iuris ciuilis possessori tunc, tanquam vero domino fundi debetur, nulum vinculum bonorum primogenij fortiat; sed liberum omnino maneat, vt de illo, vt libuerit, disponat.

2. Hanc sententiam sequitur magis clarè & distinctè Cardinalis de Lugo c. 1. de iust. disp. 6. sect. 1. n. 119. asserens, quod, si thesaurum inueniat ipse maioratus possessor, pertinebit ad eum, saltem ratione inuentionis, & hoc etiam si ex industria querat: quia id fecit, sciente, & consentiente domino, qui poterat consentire, cum nullus alius pro tunc sit dominus illius fundi, cuius consensus exigeretur. Si verò alius inuenierit, idem videtur dendum ob eandem rationem, pertinere, scilicet, ad possessorem maioratus, id, quod domino competit, cum non sit alius dominus directus verus illius fundi. Vnde ad eum pertinebit abique obligatione conseruandi, & transmittendi ad successores: quia, licet non sit fructus, est tamen emolumentum, & lucrum proueniens domino actuali, quæ lucra non debent ad successores transmitti. Sicut, si Rex donaret singulis Episcopis suæ Prouinciae decem millia aureorum, illi quidem non essent fructus Episcopatus, & idè non deberent transmitti ad successores; sed pleno iure pertinent ad possessorem actualem Episcopatus, tanquam lucrum fortuitum occasione sui Episcopatus sibi proueniens. Sic lex donat possessori agri illum thesaurum, vel partem illius, quod est lucrum hac occasione proueniens successoribus, & ad ipsum libero, & pleno iure spectans.

3. Verum circa præsentem questionem ex Iuriconsultis, ne deseras recognoscere Molinam de primogeniis Hispan. lib. 1. c. 23. n. 3. cum seqq. Ioannem Garciam de expensis & meliorationib. c. 22. n. 50. Gutierrez *tr. de tutelis*, p. 3. c. 26. n. 11. & 16. & alios penes ipsos firmantes, quod maioratus possessori competat dimidia pars thesauri, quæ iure domino fundi competit, ex l. *unicæ, c. de thesauro* lib. 10. & leg. *Si is, qui*, §. *Communis servus* l. 2. ff. de acq. rer. dom. cum maioratus possessor, verus, ac plenus dominus sit, dominiumque vile, ac directum habeat.

RESOL. XII.

Ad quem pertineat Thesaurus inuentus in loco sacro? Et quid, si data opera sine consensu Prælati, vel arbitrii Magicis sit inuentus dictus Thesaurus? Et quid est dicendum, si in Monasteriis, & similibus reperitur Thesaurus? Ex p. 9. tit. 5. Ref. 11.

§. 1. Dimidia partem ad fisco pertinere, docet Harpprechtus in *Iustit. tom. 2. §. thesaurus* 39. n. 9. vbi sic ait: [Esti verò Interpretres nonnulli autumant, hodie iure pontificio thesauri in loco sacro, & religioso publico, vel fundo Ecclesiastico inuenti, partem dimidiã non fisco, sed Ecclesiæ adjudicandam esse: cum tamen isthoc Doctorum pronuntiatum nullo iuris canonici textu specialiter probetur; à dispositione iuris ciuilis, quod expressum est in c. *unicæ*. Quæ sine regal. in fin. & l. 3. §. *penult. vers. Neque enim*, ff. de reb. cred. Tametsi in calu, quo Clericus thesaurum in loco Ecclesiastico inuenit; Ecclesiæ iste thesaurus, si nō ex asse, ex semel tamen acquirit videatur, argum. c. *Excommunicatus* 13. §. *Damnati. de Hæresicis*. Ita ille. Et ante illum Henr. Boetius